





1715, 12

16

DISPV TATIO IN AVGVRALIS,  
DE  
**CONVENTIONIBUS**  
**IMPERFECTIS,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIP E AC DOMINO,

**DN. GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIAE  
ET GVESTPHALIAE, &c.

PRÆSIDE

**DN. IO. CHRISTIANO SCHRÖTERO,**

ANTECESSORE IN HAC SALANA, NEC NON FACULT. IVRID. SCABINAT.  
ET CVRLÆ PROVINCIALIS ASSESSORE GRAVISSIMO, IAM  
TEMPORIS DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO SVO QVOVIS HONORIS CVLTV  
DEVENERANDO

PRO IMPETRANDIS SVMMIS IN VTRQVE IVRE  
HONORIBVS & PRIVILEGIIS

RECTE SENTIENTIVM IVDICIO & BENIGNÆ ERVDTORVM CENSVRÆ

EA QVA CONDECET SVBMISSA RATIONE EXPOSIT

**FRIDERICVS CHRISTOPHORVS LIPPRANDVS,**  
INFERIORI TREBRA THVRINGVS.

AD DIEM MAI ANNO MDCCXV.  
HORIS CONSVENTIS ANTE ET POMERIDIANIS.

---

I ENÆ,  
TYPIS WERTHERIANIS.

1778 AESTHETICAE

DISTRIBUTIO IN VAGABUNDIA  
COPAVENTIONIBUS  
IMPERIIS STIPENDIIS  
PRO TOTALE MAGNITUDE INTISSIMO  
TERRITORIUM DIVIDIT AC DOMINA  
DNI. CARITATIS HENRICO  
DAC SAVOIAE ET MARCAE MONTUAM ANNUAM  
ET QVOTANTE SC  
DNI IO. CHARTERIO SCHOTTERO  
PRO MORTUOS SAVIAE IN VALLOOAY TAVE  
HONORIBVS ET PLENIFERIS  
RECTE SENTIENS VIVENTIBVS ET VIVENTIBVS  
CIVILIS GESTARUM  
LUDERICAS CHRISTOPHORAS TRISTRANDAS  
PRO TERRITORIIS TERRITORIIS  
PRO RIBA. MULUSQ. MDCCLX  
PRO TERRITORIIS TERRITORIIS  
PRO TERRITORIIS TERRITORIIS

*WERT HIC HERRE*  
**GENEROSO DOMINO,**  
**DOMINO,**

**DIETERICO LEBRECHTO**

**à BODENHAVSEN,**

*MEDIEV*  
**DYNASTÆ in Niederfröbra/**

**PATRONO MEO GRATIOSO**

**HANC OPELLAM**

*OMNIS ETATIONE STANCI*  
**SUBMISSÆ**

**D. D. D.**

**VT ET**

PRÆNOBILISSIMO ATQVE EXPERIEN-

TISSIMO DOMINO,

DN. HENRICO ELIÆ  
HVNDERTMARCKIO,

MEDICÆ ARTIS DOCTORI FAMIGERA-  
TISSIMO, CIVITATIS & PROVINCIAE ZI-  
ZENSIS PHYSICO ORDINARIO,

AGNATO MEO HONORATISSIMO  
OFFICIOSE

D. D. D.



ENEROSE DOMINE,

VIR PRÆNOBILISSIME ATQVE EX-  
PERIENTISSIME

**S**ingularis utriusque Vestrum in studia  
& artes liberales ardor & propensio  
quo nibil potius antiquiusue habetis,  
allexit me, ut hanc pro tenui ingenii  
modulo elaboratam & publici Iuris factam differ-  
tationem Vestris clarioribus nominibus inscribe-  
rem sacramque esse unice optarem, nullus hac le-  
ge dubitans, quin ita hac opella eruditio orbi illu-  
strior redderetur. Cum enim bene scirem Vos ab  
ineunte etate primisque statim incunabulis rei lit-  
teraria doctrina & studiis elegantioribus omnem  
navasse operam, adeo, ut Tu, Generose Domine

(3)

non

non tantum in Academiis Regiis Germanicis, Li-  
psensi videlicet & Vitebergeni omnem Iu-  
ris & scientiarum studio laudem consecutus,  
sed etiam apud exterorū Transalpinos in illo  
mundi Tempe scilicet Italia & Gallia, (spreta  
itinerū molestia & discriminē, quibus iter fa-  
ciens semper expositus est) tantam penum litte-  
rariam doctrinarum, linguarum, elegantiarum,  
& morum suppellecīlem acquisueris, ut qui-  
libet, qui Te nouit eleganter studia Tua &  
raram humanitatem in conuersatione cum eru-  
ditis admiretur. Et quis est, qui nesciat, quan-  
to Tu, Prænobilissime atque experientissime  
Vir, ardore & amore erga artem Medicam,  
omnem moueris lapidem, siquidem non in his  
terris solum, sed etiam in remotioribus di-  
tionibus in confederatis Provinciis, ut & in  
terris Amplissimorum Ordinum Generalium,  
ut vocant, statum apud Batavoros tam raro-  
rum in re Medica arcanorum indefesso stu-  
dio, meditatione & conuersatione Illustrium Vi-  
rorum præcipue Celeberrimi & nāvo Heinsii  
compos factus sis, ut in curatione morbo-  
rum eorumque periculosorum in certo genere

&amp;

Et respectu vix Thì similem habeas. Ex  
 quo sit uti inter omnes, qui Te norunt con-  
 stat, ut Te Dania, Ungaria ipsaque Gallia in  
 certo morbi genere consulat Tuisque medica-  
 mentis, Tuaque singulari Et rariori medendi  
 methodo utatur. Sed quid opus est, soli ac-  
 cendere candelam; diuitiis Croesi addere terun-  
 cium, cum Vestra eruditio morumque probitas  
 per se satis suos gloriae diffundat radios. Hinc  
 quo doctiores estis eo humaniores eritis in sy-  
 scienda mea dissertatione Et spero fore, ut  
 eo benignius mea audacie gratiam sitis factu-  
 ri, cum studiorum audiatis Magni Mæcena-  
 tes, Et toti semper in studiis detineamini,  
 quid igitur mirum si studia querunt suos pro-  
 motores eorumque clientela se subiiciunt.  
 Suscipite igitur serena fronte has plagulas Et  
 porro, uti coepistis, studiis meis fauete. Quod  
 reliqui est, DEUM Ter Opt. Max. devote  
 veneror Et adoro, ut Te, Generose Vir, una  
 cum Generosa, Et Delectissima Costa, suas  
 uisimisque pignoribus Tuis quam diutissime  
 in splendorem Bodenbusiacæ Et Addepticæ do-  
 mus superesse clementissime jubeat. Te vero

Præ-

35 (o) 56

*Prænobilissime atque usu præstantissime Vir  
in solatium Tuorum, refrigerum morbo la-  
borantium imo, ut ita loquar, in odium mor-  
tis ad Galeni usque vitæ metam sanum &  
spitem conseruare velit; Ego vero sum,*

*VV. GENEROSITAT.*

*ET PRÆNOBIL.*

D. E. MUS. IENÆ D. MAT ANNO 1712  
Dionys. MDCCXV.

SUBIECTVS

OFFICIOSVS CLIENS,

FRIDER. CHRISTOPH. LIPPRANDVS.



§ I.

**I**n Principio tractationis nostræ hoc præcipue peragendum erit, ut quid illud sit, de quo differere constitui-  
mus, planum existat: ne incerti va-  
gemur, aliisque difficultatibus an-  
sam nosmet ipsi præbeamus. Ig-  
tur dicendum *Conventionem* nobis heic nihil aliud esse  
quam pactum, quo ex diversis animi motibus duo vel  
plures in unum dandum vel faciendum consentiunt,  
i.e. in unam sententiam decurrent, secundum tradita  
Ulpiani in l. 1. §. 3. ff. de Paetis. Vinn. de Paet. C. 1. §. 3. E-  
quidem nos non fugit in l. 46. §. 4. C. de Episcop. & Cleric.  
eadem hac Conventionis voce admonitionem extraju-  
dicialem notari. Ger. Noodt. de fænor. & usur. L. III. C.  
IX. p. m. 317. & convenire idem quandoque esse ac in ius  
vocare, l. 45. ff. de R. V. add. Codex Fabrianus L. IV. Tit. X.  
Def. V. Carpz. P. III. C. XV. def. LII. n. 5. lure Feudali Saxon.  
expectationem sive expectativam, quam quis in feudo ha-  
bet, conventionem dici, veluti annotavit DuFresne *Gloss. ad*  
*autor. med. & infim. Latin. voce Conventio.* Sed has quidem

A

acce-

§§ (2) §§

acceptiones, rem præsentem nihil attinentes, indicasse sufficiat.

§. II.

Præterea rubrum dissertationis nostræ exhibit notionem *imperfectis*. Quemadmodum autem vulgo perfectum dicitur, quod omnibus numeris & partibus absolutum & fini, quem agens intendit, producendo idoneum conspicitur. Huc illud Socratis *apud Tullium de Orator. L. 1.* perfectum opus esse, dicentis: si quis satis esset concitatus cohortatione sua ad studium cognoscendæ percipiendaque virtutis *vid. l. 1. ff. de O. I. Arnold. Gentilinx. Metaph. peripat. p. 2. §. 2.* Ita ubi nonnullorum requisitorum defectus deprehenditur, simulque propositus finis ea tenus impeditur, hoc imperfecti appellatione indigitare solemus. Quo sensu testamentum non absolutum *in l. 13. ff. de Legat. III.* imperfectum audit, neque ex eodem legata capi possunt. Ita quoque Maximilianus I. in der Ordnung der Notarien zu Cöln/ Anno 1512. aufgericht. §. II. diserte constituit: daß ehe die Schrift vollkommenlich gefertiget und von denen Partheyen für vollkommen und erfüllt geacht/der Contract nicht für vollkommen und frässtig gehalten werde.

§. III.

Enim vero ut distinctim procedamus, necessum plane videtur hoc loco diversæ acceptioni vocis, aut quot modis quid in Iure imperfectum dicatur, advertere animum. Sane actum imperfectum subinde pro nullo ponni, non dubitare sinunt clara legum verba *l. 9. pr. ff. de Contrah. Emst.* Ubi, qua modo dicebatur emtio imperfecta,

§§ (3) §§

cta, mox nulla vocatur, add. l. 35. §. 1. ff. d. t. aliaeque plures. laudatae Briffonio de verb. signif. Lib. IX. Nonunquam perfectus contractus, quia complemento suo destituitur, res imperfecta audit. Talis est stipulatio, quam numeratio nondum secuta, cuius meminit Vlpianus in l. 9. §. 3. ff. Quod met. cauff. ad quam confersis Anton. Fabri Rationalia. add. L. B. de Lyncker Anal. ad B. Struv. S. I. C. Tit. de estim. Action. p. 230. Vtrasque tamen has notationes a nostra tractatione removendas esse propterea, monemus, ut eorum, quæ sequentur, sententia certior evadere possit.

§. IV.

Quæ dicta sunt, commonstrant, per CONVENTIO-  
NE IMPERFECTAS nos designare pacta quævis & Con-  
tractus, quorum celebrandorum factum quidem est legiti-  
timum initium, sed quæ, deficiente quodam vel Gentium  
vel Civilis Iure ad perfectionem negotii necessario requi-  
sito, ordinario effectu destituuntur; nisi perficiantur ple-  
nius atque supplemento ulteriori robur ac vim accipient:  
ad hoc ipsum vero aut quantum fieri interest, exigendum  
partes contrahentes ex legitimo initio jus habere cen-  
sentur.

§. V.

Pacta alia publica sunt alia privata, quædam legiti-  
ma, quædam Iuris Gentium, hæc vel nuda vel non nuda;  
ut alias distinctiones taceamus: neque enim ex aliorum  
scriptis multa hic congerere lubet. Qui plura de istis  
scire cupit, adeat Arnoldum Vinnium peculiari tractatu-  
singula ex professo exponentem, nec non Francisci Man-

ticæ *Lucubrationes Vaticanæ de tacitis & ambiguis conventionibus*, qui declarat inter cætera, quæ subfiantialia naturalia & accidentalia Contractuum sint. De Divisionibus Contractuum etiam luculenter egit Petrus Nicolaus Mozzius *Tr. de Contract. art. 4. p.m. 14. & seqq.* Ex recentioribus huc referendus Ioh. Georg. Fleck *iur. in biblioth. Civil. Lib. III. tit. 1. it. Gerard. Noodt* libro singulari ad *Edict. Præt. de pact. & transact.* Quotquot autem Conventionum species constituuntur omnes sub generali voce in complexu spectatos hic intelligimus *juxta l. 1. §. 3. ff. de pact.*

## §. VI.

Requirimus ut Conventio saltem habuerit Initium iustum, tam quoad mutuam agentium voluntatem, qui ad contrahendum sint habiles: quam quoad res & facta de quibus pacisci liceat. Nā deficiente vel voluntate vel facultate conveniendi, ne ulla quidem particula, quæ nomen Conventionis mereatur, adesse deprehenditur: *per l. 3 ff. de O. & A. vid. Mantica Tom. 1. L. 1. Tit. XII.* Porro ubi de facto impossibili vel re in commercio non existente vel plane incerta quidani cogitarunt, eo ipso nihil omnino egisse censentur. Lauterbach. *Coll. tb. pr. t. de pact. §. 35. seqq. ejusd. disp. de contractibus in gen. §. 26. seq.* Ioh. Gœdd. *de contrab. & commit. sfp. c. VI. conclus. II. Henr. Cocceii hypomnem. Iur. ad tit. Inst. de E. V. n. 3.* Cujus autem rei nulla pars existit, illa quidem non imperfecta, sed nulla omnino est, neque de eadem quicquam prædicare ratio permittit. Imperfectum quippe in quolibet rerum genere, quamvis non illud ipsum sit ad quod comparatur, ad minimum tamen ipsius pars esse debet: pro-

ut

ut recte philosophatur Io. Fridem. Schneider, *in Diff. de obi. ex Testamento imperfecto C. I. §. II. insin.* Unde quæ inter conventionem nullam & imperfectam differentia intercedit, patescit.

### §. VII.

Iure naturali, ut conventio perfecta dici possit, hoc maxime requiritur; ut consensus mutuus, tam ratione intellectus quam voluntatis rite constitutus, euidentibus signis, promissionem acceptationemque spectantibus, sufficienter sit significatus: *Grot. de I. B. & P. L. II. C. IV. §. 3.* de re in nostris viribus existente, *Illustr. Thomas. Iprud. din. L. II. C. VII. n. 78.* Eo quidem modo, ut validitas promissionis, puta obligatio ad eandem præcise implendam, nec non jus ad promissa exigenda statim sequatur; siue ipsi promittamus, siue per alios homines quos velut internuncios voluntatis nostræ & interpretes esse voluimus *Thom. I.c. §. 98. & §. 114. seq.* Ast ubi de re, circa quam conventio versari debet, plenius adhuc informari cupimus, vel voluntas de quibusdam negotiis partibus utrinque ad perficiendum nondum plene declarata, vel denique si persona intermedia promissum meum ad stipulatorem nondum detulit, *vid. Henr. Ernest. Kestneri Ius Nat. & Gent. Cap. V.* Puffend. ibidem laudatus *de I. N. & G. passim*, omnibus ipsis casibus conventio dicenda erit Iure Gentium imperfecta.

### §. VIII.

Sed & leges Civiles circa modum & rationem transfrendorū in alios honorū & formam conventionum latæ,

ceu altera perfectionis norma hic adleganda. Licet enim omnia Iuris Gentium requisita probe observaveris, si formā a legibus civilibus praescriptam neglexeris, quod ita agitur, qua tale nullo effectu gaudebit. *I. i. §. 2. ff. de V. O. vid.* Puffend. *de O. H. & C. Lib. II. C. XII. §. 7. & C. XV. §. 2.* Mantic. *I. c. n. 51.* Vnde hoc coniectarium elicimus: quam diu conventioni, quae jure Civili certam formam praescriptam habet, solennitatis pars deest; tamdiu habenda erit pro imperfecta. Ais, id hodie gratis assurit, dum omne pactum actionem jam producat, *B. Stryck. V.M. T. de Pact. g. 1. Thomas. not. ad ff. pag. 61.* neque ob defectum formā legitimā imperfectum aut invalidum dici possit. Respond. non querimus, an ullo modo talis conuertio hodie valeat? sed an qua talis considerata, legitima sua forma destituta, perfecta subsistat? Hoc vero plane negandum esse existimamus, moti *I. 27. ff. de Mort. caus. Donat.* ubi, si mortis causa donatur, ita ut nullo casu revocetur, valet quidem, non vero tanquam donatio mortis causa, sed tanquam inter vivos, Mantic. *I. c. n. 22.* Pari ratione hodienum aliud est valere tanquam pactum nudum, aliud vero solennis conventionis partes explore. Certum quippe est, si quid contra formam praescriptam sit, idem aut nullum esse, aut in aliam speciem transire; saltē quoad ejusmodi quid desideratur, recte Iure civili imperfectum dici.

## §. IX.

Ordinarius conventionum effectus est translatio iuris de uno in alterum, necessarium vinculum ad dandum quid vel faciendum progenerans, in specie si pactum liberatorium fuerit, obligationem dissolvens Lauterbach. *Colleg.*

leg. Tb. Pract. tit. de pact. §. LXIV. Richter. de Contract. Disp.  
 I. th. i. Lit. C. Ita quidem, ut, nisi sponte partes velint,  
 ope actionis ad præstanta, quæ semel placuerunt, adigan-  
 tur. Bachou. ab Echt ad tit. de pact. p. 652. vbi de effectu  
 pactorum ex Iure Gentium. & Civili plura offendes. Ast  
 cum in producenda ista obligatione non quid antea di-  
 gitum vel factum sit attendatur, sed tantummodo conclu-  
 sio Bald., ad l. 8. C. de resc. Vendit. & quoad istam obligan-  
 di vim paria sint non esse contractum & circa eum super-  
 esse quid contrahendum arg. l. ii. in fin. C. de his quib. ut  
 indign. merito istos effectus imperfectis conventionibus  
 denegamus. Quo quidem respectu, cum pactis, quæ  
 ipso iure nulla sunt; imperfectæ conventiones æquiparari  
 possunt: sed cave ne propterea res diverfas invicem con-  
 fundas, ideo solum quod in tertio, si effectum conven-  
 tionum ordinarium species, convenient: Sunt enim alia  
 capita in quibus utique multum a se discrepant. Sane  
 Contractus per se nullus confirmari non potest, licet rati-  
 habitio subsequatur. l. 19. ff. de Nouat. l. 3. §. 2. ff. de minor.  
 adeoque nullius omnino momenti existit. Imperfecta  
 autem conventio ita comparata est, ut ad ea, quæ prius  
 acta fuerunt, siquidem partes integrantes accedant, uti-  
 que attendendum sit, neque sine omni virtute transmit-  
 tenda. Ita in contractu innominato, do, ut facias, licet  
 ad perfectionem suam rei dationem & præstationem fa-  
 citi requirat, l. 7. §. 2. ff. de pact. L. B. de Lyncker in Ana-  
 lect. ad S. I. C. Struv. Tit. de estimat. act. p. 230. Tamen quo-  
 tiescunq; ab initio pro data opera indeterminata vel etiam  
 determinata pecunia pro quolibet facto promittitur, na-  
 scitur obligatio & actio personalis in factum, ei, qui para-  
 tus,

tus est contractum ad implere, ut alter etiam implere cogatur, aut interesse praestet. *conf. Io. Georg Fleckii biblioth. Iur. Civil. L. III. Tit. IV. n. 6.* Nam quæ hac ratione imperfecte gesta fuerunt, vim pacti de contrahendo vel potius de contractu perficiendo obtinent & eatenus obligant ut partes contrahere aut interesse praestare teneantur. *Mav. P. VII. Dec. 203. Befold. P. 6. Conf. 268. n. 24. Dec. Conf. 340.* Idque ex naturali promissorum obligatione descendere nulli dubitamus, *vid. Grot. de I. B. & P. L. II. C. XII. §. 4.* Puffendorff de I. N. & G. Lib. III. c. V. §. 7. & seqq. Nec in contrarium movemur per tradita Hertii *parœm. Iur. Germ. Lib. I. parœm. 8. S. 5.* *vid. & Henrici Cocceii Disser. de Iure circa actus imperfectos. sect. III. §. 35.* Diserte quidem Paulus in l. 30. ff. de R. C. qui pecuniam, ait, *creditam accepturus spopondit Creditori futuro, in potestate babet, ne accipiendo se ei obstringat:* Sed recte Iason & Zasius, adlegante Gothofredo *ibidem Lit. O.* hoc casu, quod Interest, agenti solvendum esse tradiderunt. Certe fidem de perficiendo negotio semel datam temere non esse frangendam pluribus evincit Mantica de Tac. & *ambiguis Contr. Lib. III. T. XVIII. n. 26.* His verbis: *Quod vero attinet ad servandam fidem conventionis, illud etiam adnotandum est, quod si quis promiserit contrahere debet illum contractum, quem consuevit celebrare, 1. si fideiussor, §. meminisse de legat. 2. 1. si quis stipulatus sit stipulum. vlt. de V. O.* Et ideo qui promisit fideiubere, quamvis ex hoc solo non sit fere fideiussor, nihilominus teneatur fideiubere d. §. *meminisse & qui promisit locare, fidem etiam praestare debet 1. in bona fidei. S. si ramen. de eo, quod certo loco, & similiter, qui promisit vendere, promissi stare debet:*

§ (9) §

debet: *l. si steriliſ ſ. pen. ff. de A.E.* Bar. & alii leg. ſi eum,  
*qui iniuriam D. ſiquis cauſt. Couar. epitom. de ſpons. cap. 4.*  
*n. 1.* neque in dubium venit, quiſ is qui promiſit contrahe-  
re, ſic debeat contractum celebrare, ut contractus valeat,  
Bald. leg. huiusmodi in pr. de leg. 1. Nam verba cum ef-  
fectu ſunt intelligenda. *l. 1. ſ. hac verba, quoſ quisque, in*  
*c. qualiver, de paclis, &c. relatum, de clericis non resid.*

§. X.

Iste Conventionum imperfectarum effectus omni-  
no cefſat, ſiquidem primo contrahentibus aliud placue-  
rit: quemadmodum enim toti contractus eo modo re-  
tractari poſſunt, vid. Ulric. Huber. prelect. ad Inst. Tit.  
quib. mod. toll. obligat. n. 10. nullum dubium remanet,  
quin de singulis eorundem partibus idem pronunciare li-  
ceat, arg. l. 7. §. 6. ff. de Pacl. Ergo annihilabitur actus  
ſi poſt conventionis initium partes, cum eandem per-  
ſici nihil intereffe videatur, diſcedunt, neutra parte pa-  
clum urgente: quæ ſententia eft Mev. P. IV. Dec. 334. &  
Cephal. Consil. 72. n. 16. Vol. 2. Deinde ſi res ſuper qua  
contractus celebrari coepit, perierit, nec amplius praefari  
queat, l. 23. ff. de V. O. Richt. de Contr. Diff. XIV. §. IIX.  
Porro contrahentium altero mortuo, obligatio ex imper-  
fecta conuentione tollitur, Rich. l. c. §. XIII. personæ  
enim cohærebat & in ipſa defuncti persona erat adim-  
plenda nec ad heredem transit. l. 68. ff. de R. I. l. 25. f. 1.  
ff. de pacl. add. Ioh. Goedd. de contrab. & committend. ſi-  
pulat. C. IX. n. 184. Non obſtat l. 9. ff. de probat. ubi, qui paci-  
ſcitur non minus de herede ſuo, quam de ſe cogitare dici-  
tur: ab iſta regula quippe excipiuntur personalia l. 21.  
ff. de

B

*ff. de Us. & habit. l. 8. §. tale legatum ff. de Liberat. legat.*  
 Porro fictio, qua heredis persona eadem censetur cum  
 persona defuncti *l. 24. de V. S.* non facile locum habere  
 potest in pactis, in quibus non ius, sed factum versatur *l. 7.*  
*§. ult. ff. de Curat. furios.* Ant. Fabr. *Rational. ad Tit. de*  
*pact. l. 25. §. 1. Lit. c.* Tandem qualem cunque Conuentio-  
 nem dolo malo infirmari, sive stricti iuris audiat, sive bo-  
 næ f. nec interesse, incidat dolus in contractum, an eidem  
 causam præbeat; vult Ger. Noodt *de forma emendandi*  
*doli mali C. III.*, sed quid alii hoc loco distinctim tradant  
 docebit Bargal. *de dol. passim.* add. Barbeyrac. *ad Puffend.*  
*de I. N. & G. Lib. III. C.VI. §. 8.n.1. & seqq.* Titius in *Lau-*  
*terb. O MCXLVIII.* De errore, quatenus conventionum  
 vim ac efficaciam impedit, conferatur Puffend. *l.c. §. 6. &*  
*seqg. ibidemque* Barbeyrac. Plures soluendi & tollendi  
 contractus modos, proponit Richt. *l. c. speciatim vero,*  
 quomodo singuli contractus deficiant, exponit Petrus Ni-  
 colaus Mozzius *de contr. passim.*

### §. XI.

Ast, unde constabit, ad quam usque lineam conuen-  
 tio sit perducta? Quemadmodum ipse contractus eius-  
 que perfectio facti est & probanda *l. 7. §. ult. ff. de Curat.*  
*furios.* Ant. Matthæi *de probat. C. II. n. 10.* ab affirmante,  
 idem *C. VIII. add. l. 2. ff. de probat.* ea quidem ratione,  
 ut dum intentionem suam fundat in aliquo actu certa qua-  
 litate imbuto, ita quidem, ut cum ea qualitate coniunctus  
 actus singularem effectum habeat; non modo ipsum a-  
 etum, sed & qualitatem actus docere teneatur. *C. 31. X. de El.*  
*in 6 c. 9. X. de prob. Carpz. P. II. C. XI. D. 32. n. 4. Similiter Con-*  
*uen-*

¶ (11) §

ventionem, quam hic exponimus, imperfectam allegans, legitimum eius initium & quounque contrahentes fuerint progressi, nisi succumbere velit; ut probet, omnino necessum habet. Modos, quibus id fieri queat, fuse tradit Ant. Matth. *laudato Tr.* ubi non tantum de præsumptionibus & Coniecturis, sed & de testibus instrumentis, iureirando & confessione elegantissime ratiocinatur. Porro quod dicitur alias: *Videtur agere, qui excipit. l. 1. ff. de Except.* et reus partem actoris consequitur *l. 19. pr. ff de probat.* Idem hoc loco obseruandum erit, si aduersus præsumptiones probationesue actoris, fugiens quid excipiat Matth. *l. c. n. 10.* Hanc quippe exceptionem ut probet necesse est, nisi tamen mera negativa sit. Hartm. Pistor. *q. 22. Berlich. Decis. 174.*

§. XII.

Illustriores conuentionum species sunt, quæ publica ex causa fieri solent; quando nimirum Principes nomine totius societatis, vel cum hoste paciscuntur, pacis induciarumue causa *l. 5. ff. de Pact.* vel cum vicinis fœderata pangunt Conring. *de Rar. stat. §. XLII. Grot. de I. B. & P. L. I. C. III. s. VI. n. 2. & L. II. C. XIV. §. 3.* aut contractus celebrant, idem *L. II. C. XIV. §. IX.* aut tandem cum ipsis regni Ordinibus de legibus publicum bonum & salutem concernentibus conueniunt, Puffend. *de I. N. & G. Lib VII. C. VI. §. XI.*

§. XIII.

Perfecta pax dicitur, qua, propositis utrinque Conditionibus approbatisque, consensu solenniter declarato,

ius belli tollitur. Grot. de I. B. & P. Lib. 3. C. 20. §. 1. & 20.  
 Rem declarat antiquissimum illud instrumentum pacis in-  
 ter Guntheramnum & Childebertum Reges & Brunichil-  
 dem Reginam Andelao initæ, cuius initium ita habet:  
*Cum in Christi nomine præcellentissimi Domini Gunthera-*  
*mnum & Childebertus Reges & glorioſiffima Domna Bruni-*  
*childis Regina Andelaum charitatis studio conveniſſent, ut*  
*omnia, que undecunque inter ipſos scandalum poterant ge-*  
*nerare, pleniori conſilio definiſſent, id inter eos medianti-*  
*bus facerdotibus atque Proceribus, Deo medio, charitatis stu-*  
*dio ſedit, complacuit atq[ue] conuenit, ut quamdiu Deus Omni-*  
*potens eos in praesenti ſeculo ſupereffe voluerit, ſidem & cha-*  
*ritatem puram & simplicem ſibi debeant conſeruare.* vid.  
*Recueil des Traitez de paix Tom. i. p. 1. b.* Idem aliae pa-  
 cificationes ibidem paſſim conſpicuae confirmant. Quo-  
 tiesc, autem plena conſirmatio pactioni nondum acceſſit,  
 vel alia requiſita neceſſaria deficiunt, imperfectum qui-  
 dem erit negotium; attamen id operabitur, ut ſi com-  
 plementum deſegetur, alteri parti iure Gentium exigen-  
 di, quod interest, fas sit: aut ſi perfectio pacis poſtea ac-  
 ceſſat, prius conuentorum omnino ratio habeatur. Exem-  
 plum occurrit in Tractatibus Anagniensibus inter Frideri-  
 cum I. & Alexandrum III. Papam, VVilhelμum Siciliae  
 Regem, nec non confoederatas quasdam Italæ Ciuitates,  
 de quibus vid. Reueil des Traitez de paix Tom. I. pag. 25. b.  
 ubi egregie ad institutum noſtrum facientia Legatorum  
 haec verba reperiuntur: *Misit (Imperator) ideo nos, cum*  
*plenitudine potestatis ad presentiam vestram poſtulans in-*  
*ſtanter, ut verbum illud & pacis, quod in praeterito anno*  
*fratres vestri ſecum praefentialiter tractauerunt, & modo*  
 pec-

peccatis ita exigentibus, imperfectum remansit, nunc per  
vos & affensem nostrum, qui in eo fuerit, auctore Domino,  
compleatur. Addenda sunt, quæ l. c. sequuntur, unde mo-  
dus, quo tota res confecta fuit, conspici poterit. Quid  
nouissimis Tractatibus Rastadiensibus & Badensibus, qui-  
bus paci uniuersali complementum accessit, actum fuerit;  
docere potest, Historie Rastadischer Friedens-Hand-  
lung elapso proxime anno in hac ipsa Academia typis  
exscripta. Iungantur varia acta publica, qua hac occa-  
sione prodierunt, eodemque scripto erudito collaudan-  
tur. Aliud dicendum, si partes pacientes ultro a tra-  
ctatibus recedant, veluti itidem in nuperimo bello cum  
Rege Galliæ exemplum habuimus, cum anno 1709. Rex  
Galliæ ex una & summorum confederatorum concio ex  
altera parte ad pacem ineundam Tractatus Gerdruten-  
burgenses incoarent & ibidem coirent. Verum enim ve-  
ro, cum non ad causæ conclusionem peruenirent, omnes,  
quas dicunt, conferentia re & correlationes inutilites  
erant, quia partes re infecta discesserunt. Hæc forte mo-  
uerunt romanos, ut ex illo ipso momento per fictionem  
Iuris negotiorum cœptum & adimpletum dicerent, quo res  
vel factum ad perfectionem consummatam peruererit,  
l. 134. S. 1. ff. de V. O.

## §. XIV.

Quam diuersæ Indolis & naturæ foedera sint, expli-  
cat. Herm. Conring, Disp. de foeder. §. 10. Multiplices eo-  
rum leges, solennes circa eadem contrahenda ceremonias,  
confirmationumque modos, Gentium moribus in-  
troducedos, ex purissimis antiquitatis fontibus solide de-

promit & illustrat Georg Schubart, *Diss. de moribus Gent. circa foedera.* Illud salem ad nostram tractationem referendum, quod dum summa prudentia in omnibus foederibus opus sit, ne sub bona specie ab hominibus fraudulentis decipiamur: ad praescindendas fallacias, maturis liberationibus, antequam foedera suo solenni modo perficiantur, nonnihil temporis impendendum sit, priusquam plene consummarentur. Sed hoc easu idem Iuris, quod in aliis conventionibus, locum sortiri, rationis similitudo suadet. Idem quoque Comprobat Liga inter Franciscum I. Gallia & Henricum VIII. Angliae Reges, suadente, hortanteque Leone X. Papa, aduersus Turcas, inita d. 2. Octobr. ann. C. 1518. qua Carolum V. Imperatorem, tanquam principaliter contrahentem & confoederatum incluserant, ea tamen lege adiecta, ut intra quat. Menses, post notificationem ipsius tractatus sequentes, teneretur per litteras notificatorias & confirmatorias & per oratores sufficientem ad hoc autoritatem habentes, ad obseruantiam dicti tractatus, semet iuramento corporali super hoc praestando obligare & astringere, ac requirere & rogare dictos Angliae & Franciae Reges, ac eorum utrumque, quatenus pro principaliter contrahente recipiatur & acceptetur, gaudeatque beneficio dicti tractatus, ac si in Conclusione eiusdem foederis mandatum eiusdem adfuisset. Alioquin autem elapsa termino pro comprehenso duntaxat, non autem pro principaliter contrahente haberetur. Nempe hoc negotium respectu Caroli eosque imperfectum erat, dum ipse legi, prescriptae satisfaceret quod postea insecurum d. 14. Ian. ann. C. 1519. vid. Recueil des Traitez de paix, Tom. II. p. 87. & seq.

§. XV.

## §. XV.

Ad conuentiones imperfectas inter Regem & regni ordines celebrandas, referri possunt Anglorum Billæ, quæ, licet solenni Ordinum consensu sint compositæ, vim tamen actorum Parlamenti & legum fundamentalium non sortiuntur, nisi Regis accedat consensus. De hoc autem explicando, dum deliberatio instituitur, Billæ manent in statu quo, usque ad proximum congressum. Ait in prorogatione Parlamenti hoc singulare est, ut, siquidem Billæ consensu regio non fuerint confirmatae, tunc proxima sessione omnes solennitates ad perficiendum repeti debeant. De quibus elegans est tractatio, dans l' état present de la grande Bretagne apres son heureuse union, par Guy Miege, Tom. II. pag. m. 572. & seqq. In eundem hunc censum in Imperio nostro Romano Germanico referenda sunt Conclusa statuum vulgo die Reichs Gutachten/ quæ legali autoritate destituuntur, nisi ad Imperatorem missa fuerint, simulque responsum suum Imperator ipsis conueniens Directorio Moguntino per principalem Commisarium intimauerit. Nam si uni saltē Collegio accedit, vel a statuum concluso discrepet tamdiu replicando, duplicando, triplicando disceptatur, donec altera pars in alterius sententiam discedat, vel pateat plane, eos dem inuicem componi non posse, quo casu res indecisa m anet. vid. Kulpis, de placitis ordin. Imper. D. Struv. in Synt. Iur. publ. Diff. XXII. §. 28. Porro exemplum imperfecta conuentione in Imperio nostro præbent etiam Tractatus de Capitulatione perpetua, de quibus in compendio legi merentur Elect. Iur. publ. Tom. II. p. 583. & seqq.

## §. XVI.

## §. XVI.

Quoniam vero praesens dissertatio ad leges potissimum ciuiles, quae priuatorum iura exponunt, respicit. Non incongruum erit, de conuentionibus priuatis, quae ex causa de re cuiusque privata ac familiari fiunt, Vinn. *de pac. C. IV.* distinctius quædam proponere & quatenus iste dicantur imperfectæ, quidve leges de iis statuant, paucis secundum ordinem a Compilatoribus Iuris nostri seruatum, expendere. Quia occasione non abs re in mentem veniunt tradita Ulpiani *in l. 10. ff. de R. C.* Quod si ab initio, cum depônerem, uti tibi, si voles, permisero creditam (pecuniam) non esse antequam mota sit, quoniam debitum iri non est certum. Namque his verbis nihil aliud nisi contractum mutui imperfectum denotari, in propatulo est. Quamuis enim aliud sit credere, aliud deponere, *l. 24. §. 2. ff. de Reb. aut. Iud. possid.* Tamen si, ut tantundem solveretur, postquam nummi depositi fuerunt, placuerit; egreditur res notissimos depositi terminos *l. 24. ff. Depos. vel contr.* Simili ratione ubi depositæ rei fungibilis usus accipienti conceditur, sola hac concessione quidem contractus mutui non perficitur, quia rei nondum translatum est dominium *arg. l. 1. §. 2. l. 52. §. 1. ff. de O. & A.* est tamen depositario ius, contractum mutui, pecuniam utendi causa accipiendo, perficere. Mantica *de tac. & ambig. convent. L. VIII. tit. III. n. 15.* Nec opus, ut alterius partis consensus de nouo accedat. Unde conuentioonis imperfectæ, quem supra allegauimus, effectus luculentiter elucet; simulque ratio patet, quare in casu, ubi emturus prædia, pecuniam mutuam desideravit, eandem vero antequam emisset, mutui nomine suscipere noluisset, si creditor

ditor cui urgente necessitate peregre abeundum apud eundem istam pecunia<sup>m</sup> summam deposuerit, periculum recipientis esse, DD. statuunt. Mantic. l. c, n. 17. & seqq. Ex eodem fonte fluit, quod si certam pecunia<sup>m</sup> summam penes alium depositam in mutuum tertio ita promisi, ut eandem breui manu a depositario meo repeatat l. 15. ff de R. C. ille vero acceptationem postea sine causa recuset, interim depositarius desinat esse soluendo, de fide fracta omnino teneatur, vid. Remer. Tr. de vero ex Iure Rom. statui Germ. attemperato oblig. valore. Sect. II. C. VI. §. 8. Sed quid si nummi alieni dati fuerint, anne & hæc dicenda foret conuentio imperfecta? Resp. Paulus in l. 2. §. 4. ff. de R. C. In mutui datione oportet Dominum esse dantem. Nec enim de non meo mutuum fieri potest. Propterea conuentio ista omnino nulla erit, nisi sub conditione data sit pecunia, vel dans eiusdem dominium adipiscatur, vel Dominus ratum habeat: his quippe & similibus casibus utilitatis causa receptum esse, ut mutuum, licet ab initio non constiterit, tamen conualefacat ex postfacto, annotauit. Gothofred. ad d. l. lit. B.

## §. XVII.

Commodatum de Iure ciuili Rom. non prius, quam post rem traditam & acceptam, firmam obligationem producit, l. 52. ff. de O. & A. nec conuentio de re danda hic sufficit, Donell. XIV. Comm. Cap. II. Exinde vero non conficitur, quod ipsis LL. impune a promissione tali resilire licet, nec alteri parti ob temeratum pactum, quamvis iure ciuili imperfectum, ullum remedium proditum sit. Nam eti perfec<sup>tæ</sup> conuentio<sup>n</sup>is efficacia, per ea quæ supra di-

C

ximus,

ximus: huic negotio recte denegetur; attamen secundum responsa Papiniani in l. 74. ff. de R. I. non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri: quam aequitatis naturalis regulam ad materiam pactorum Paulus trahit in l. 27. §. 4. in fin. ff. de pact. ante omnia, inquiens: *animadvertisendum est, ne conuentio in alia refacta, aut cum alia persona, in alia re, aliaue persona noceat.* Ego quidem, saluo aliorum iudicio, asserere nullus dubito; quin, si in commodato contrahendo promissor ante traditionem a promissione sua recedat, ille vero cui facta, damnum inde emergens ex hac deneagatione in re familiari rite probarit, ad idem resarcendum, contractum perficiendo aut interesse praestando, per leges romanas utique conueniri possit.

## §. XVIII.

Hoc loco & illud obseruari meretur, quod Ulpian. in l. 14. ff. *Commodati vel contra.* profunxiat: *Si seruus meus rem meam tibi scienti, nolle me tibi commodari, commodaverit, & commodati & furti nascitur actio & prae-re a conditio ex causa furtiva.* Insigne quippe conuentiones imperfectae exemplum cum suo effectu in hac lege nobis exhibetur; siquidem ponamus casum, quo dominus rei, se invito per seruum tertio commodata, actionem commodati instituit: tunc enim, quia in actu isto servi se fundat, eundem ratificat per l. 65. in fin. ff. de fidei. unde accedens iam ad rei traditionem, a seruo factam, plenus domini consensu negotium perficit, ut ordinaria contractus commodati vis, producenda actionis in foro ci-vili exinde oriatur.

## §. XIX.

## §. XIX,

Notante Schneidvino ad §. 3. I. quib. mod. re contrab. obl. contractus depositi non celebratur, nisi reg actualiter custodienda tradatur. Quare & hic contractus ante traditionem erit imperfectus, nec tamen nullus. Namque si promisisti mihi iter faciendi custodiam, in rebus meis, quas post septimanam demum transmittere potero, nisi elapso tempore easdem per seruos meos tibi oblatas recipias, ex pacto ad præstandum interesse mihi teneri, ideo maxime videris, quia tua promissione fecisti, ne diligentiori & magis fideli amico istam curam committerem arg. §. 1. in f. ff. de Obl. que quas. ex Contr. idq; naturali iuri conuenit: ex huius enim præcepto, de non lædendo, hoc consequitur, ut si cui abs aliquo læsio sit illata, damnumque datum ullo modo, qui ipsi recte potest imputari, id quantum eius fieri potest, ab eodem sarcinatur, Puffend. de I. N. & G. Lib. III. c. 1. §. 2. ibidemq; Barbeyrac. n. 1. E quidem obstante videntur dicta Lauterbachii in Colleg. b. pr. ad tit. Deposit. vel contr. §. VII. in fin. Nuda conuenio de re custodienda, sine rei traditione ad hunc contractum non sufficit, & qui sine rei acceptatione se rei custodiam successum, promittit, depositi non tenetur neque ex hoc pæsto de deposito contrabendo, efficaciter obligatur. Respondemus enim, promittentem istum de iure Rom. cum effectu quidem tanquam depositarium non obligari, interim si voluntatem suam in alterius præiudicium mutauerit, dolose egisse videtur: vnde generalis illa de dolo actio, quam Prætor Edicto suo proponit, ut dolus omnimodo & omni casu vindicetur, si alia actio nulla sit, cuius auxilio indemnitatii eius qui deceptus fuit, consulatur:

hic locum sortitur, confer sis Ant. Fabr. *Rational.* ad tit.  
ff. de *dolo malo* l. 1. §. 1. Lit. d.

## §. XX.

Occasione l. 1. pr. ff. de *pign. action.* Ubi Ulpianus  
ait, *pignus contrahitur non sola traditione, sed etiam nuda  
conventione, et si non traditum sit.* & l. 5. §. 1. ff. de *pign.* &  
*hypoth.* quæ hoc Marciani effatum complectitur: *Inter  
pignus & hypothecam tantum nominis sonus differt.* dis-  
putant DD. An pignus solo consensu contrahi pos-  
sit? an vero secundum §. ult. I. quib. mod. re *con-  
trab. obl.* contractibus realibus accenserit debeat? Quam  
disputationem exponit Richter. *de Contract. Disp. VI.* §. II.  
Lit. C. p. 137. seqq. qui notata terminorum propria ac-  
ceptione resolutaque obstantium textuum difficultate, ult-  
timam quæstionem affirmandam esse, solidis LL. rationi-  
bus comprobat. add. D. Ludovici Doctr. Pand. *Tit. de pign.  
act. s. 11.* Exinde consequitur: priusquam debitor Credi-  
tori rem cuius possessione de credito ille securus esse pos-  
fit, tradiderit, pignus proprie ita dictum l. 9. §. 2. ff. de  
*pign. act.* non posse dici perfectum. Tali defectu labo-  
rat pignus in aliena re constitutum, domino ignorante,  
nulla quippe exinde securitas nascitur; Ita resribentibus  
Dioclet. & Max. A. A. in l. 6. C. si alien. res pignori data sit.  
*Quæ (Mater) prædium in filios a se titulo donationis trans-  
latum creditorí suo dat pignori: se magis contrario pigno-  
ratatio obligat iudicio, quam quicquam dominis noceat: cum  
Seruiana etiam actio declarat evidenter, iure pignoris te-  
neri non posse, nisi que obligantis in bonis fuerint: & per ali-  
um rem alienam invito domino pignori obligari non posse,  
cerissimum est.* add. Manz. *ad Inst. Tit. quib. mod. recon-  
trab.*

*trab. obl. §. 4. n. 3.* Ast ubi ratihabitio Domini postea accedit, per hoc supplementum, quæ hactenus imperfæcta de pignore conuentio fuit, nunc demum perficitur, secundum notata Marcian, *in l. 16. §. 1. ff. de pign. & hypoth.* & conualescit *l. 20. pr. ff. de pign. act.* Hoc vero si non fiat, ex nostris principiis debitor rem alienam vel alii pinoratam, vel in publicum obligatam oppignorans, saltem tenetur ad interesse creditorri præstandum quod etiam vult Paulus *in l. 16. §. 1. ff. eodem & ibi* Gothofredus *Lit. b.*

## §. XXI.

Solennitates Romanorum, quæ verborum Obligationes comitabantur, nostris temporibus in desuetudinem abiisse, demonstravit D. Laur. Andr. Hamberger, *in Difser. de non usu stipulat. ususque pactior. in for. Germ.* Mihi ex vastissimo hoc Romani iuris campo vel unicum liberare flosculum allubescit, quo meam tractationem exornare visum est. Decerpfi eundem *ex l. 134. ff. de V.O.* ubi in §. 1. Paulus respondit: *Plerumque ea, quæ præfationibus conuenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur, & in §. 3. ibid.* Quotiens pluribus specialiter actis, stipulatio una omnibus subiicitur, quamvis una interrogatio & responsum unum subiiciatur, tamen perinde haberi, ac si singula species in stipulationem deductæ fuisse. Sane, qui stipulandi animo congrederiuntur, utriusque loqui debent & ipsi verba proferre, stipulator interrogando promissor respondendo *l. 1. pr. ff. de V.O. add. Goed. de Contrab. & commit. Stipul. cap. 3. Concl. X. n. 185.* & secundum Ulpianum *in alleg. l. 1. §. 2.* qui responsoni sine verbis annuit, nec ciuiliter nec naturaliter obligatur; quod hic

de naturali obligatione dicitur non aliter admittendum censemus, quam si alterius partis silentium non obstante nuto isto consensum excludat. Hoc vero tunc fieri DD. autumant, ubi non pacificendi, sed stipulandi animus fuit, Gotthofred. ad. d. l. L. p. Cuiac. ibid. quo de facile quidem fuerit iudicare in iis, qui præter hominum morem, velut ex Galeno refert Gotfred. l. c. caput inclinantes dissentunt. Sed maior difficultas oritur, si nutum pro voluntatis significatione accipiamus, quo sensu venit in l. 65. §. 3. ff. ad Sct. 1. Trebell. l. 52. §. fin. ff. de O. & A. Namque hoc casu, quia duorum in idem placitum consensus luculenter apparet, licet negotium pro solemani stipulatione haberri nequeat, valebit tamen, ut potest nempe tanquam pactum nudum, vid. l. 1. §. 2. & 3. ff. de pact. Amplius notandum, quod, velut secundum supra tradita, depositi contractus voluntate partium in mutuum commutari potest; similiiter nihil impedimento sit, quo minus stipulatio in nudum pactum, si contrahentes id serio velint conuerti queat. Sed hæc in transitu dicta commonstrant, adscriptas præfationes atque acta, stipulationem antecedentia ad eandem tamen relata, de quibus Paulus loquitur, conuentionibus imperfectis recte accenseris: earundem vero effectum esse, ut si perficiantur plenius prius imperfecte acta vim recipient absolutam; idemque ulterior in l. 4. §. 3. ff. de pact. ita declaratur: cum conuenisset, ut, donec usura soluerentur, sors non petereetur & stipulatio pure accepta fuisset; Conditionem inesse stipulationi atque si hoc expressum fuisset. Consentit l. 20. ff. de edil. Edict. Si vero ante renditionis tempus dictum intercesserit deinde post aliquot dies interposta fuit stipulatio, Caius Sabinus scribit,

*bit, ex priori causa, qua cœpit statim, ut venit, id mancipium, eo nomine posse agere.* (ita secundum Budæum huius legis constructio ponenda, non ut vulgo) Sed & si hoc inter contrahentes actum, ut duo rei constituantur, licet prior ante respondeat, posterior ex Intervallo, attamen pristina obligatio durat & sequens eidem accedit per l. 3. pr. ff. de duob. reis confit. si nimirum eidem stipulanti promittant ambo, alias, si prius Titio sponso derit, deinde alio interrogante spondeat, alia atque alia erit stipulatio vid. Pr. Inst. de duob. reis stipul. & promitt.

## §. XXII.

Diuersum obtinet in stipulatione, ratione rei promissa nulla, puta si promittatur res vel lege vel natura impossibilis. Hæc est, si quis rem, quæ in rerum natura non est, neque actu neque potentia existere potest, in conventionem dedit alterique promittit, veluti si quis promitteret Stichum vel Pamphilum qui mortuus esset, quem viuere credebat aut Chimeram, hypdocentaurum σιδηροβελον &c. quæ per rei naturam esse non possunt; tunc eiusmodi promissio & stipulatio inutilis & ipso Iure nulla esset §. 1. *Inst. util. de inst. stipulat.* vel ita promitteret, dabo centum si digito cœdum attigeris, quia impossibile hoc ad effectum perduci, impossibiliū autem nulla obligatio l. 185. ff. de R. I. nulliusque momenti §. 1. d. §. 1. Illa vero dicitur, quæ lege interdicta, laedit pietatem, existimationem verecundiam, & ut generaliter dixerim contra bonos mores est; qualia nec facere non posse credendum est l. 15. ff. de Condit. inst. Idem dicendum, si stipulatio incipiat ab eiusmodi origine, unde

in

incipere non potest, veluti si flagitii faciendi causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet, docente Papiniano in l. 123 ff. de V.O. Tandem ratione formæ vitiosa est si promissio & conuentio stipulatio non conformis interrogationi inueniatur; vid. §. 5. *inst. de inutil. stipul.* Igitur neque ad hæc, quicquid accedit, ullus respectus habetur. Addenda tamen hic venit limitatio, nisi pro parte stipulatio promissioni congruat, prout exemplum prostat in d. §. 5. ubi quis stipulatus erat decem aureos, alter promiserat quinque: hoc casu non integra stipulatio & promissio est nulla & inutilis sed pro parte subsistit. Ratio rationis est, quia summa minor maiori ineft. Nec utile per inutili vitiare debet l. 1. §. 4. l. 83. §. 3. ff. de V.O.

### §. XXIII.

Qui chirographo suo confitetur, se ab alio accepisse C. licet non sequatur numeratio, si per multum temporis scripturam creditor relinquit, ex facto suo obligatur Schilt. *ad inst. Tit. de Litter. Oblig. n. u.* Illud vero tempus in biennii terminum coarctauit Imperator Justin. l. 14. C. de N. N. pec. cuius lapsu efficitur ut scriptura perfectæ conventionis vim nanciscatur, & cum scriptura contra naturam veritatis regulariter non possit producere naturalem obligationem l. 6. C. *de compensat.* attamen post bienium confessio ista pro veritate habetur. Mantic. *de tac. et ambius conuent.* LXVIII. Tit. 1. n. 22. Et seqq. ita quidem, utnullo modo querela non numerata pecunia introduci possit. d. l. 14. de N. N. P. D. Thomas. *ad Tit. Inst. de Litter. Obl.* quo ipso contractus chirographarius ob deficiens requisitum civile nempe lapsum temporis antea imper-

imperfectus, eadem accidente perficitur, plenissimumque obligandi robur obtinet. Nisi tamē ipsa scriptura vitio, quo plane annuletur, labore, tale, ut exemplum adscribam: est chirographum Iudæo extra nundinas privatim a Christiano exhibitum, quippe per *recessum Imperii de anno 1551.* §. 79. vetitum est sub pena nullitatis, ne Iudæi a Christiano extra nundinas accipient Instrumentum obligatorium, *Verschreibung oder Obligation*, nisi coram magistratu Christiano competente: quod quidem non de solo mutuo sed & aliis contractibus intelligendum esse, notat Dn. Berger, in *Oeconomia Iuris Lib. III. Tit. IV. §. 1. n. 3.* Posthac si creditor versetur in dolo, etiam post biennium debitori datur exceptio doli specialis, quorsum facit præjudicium a Dn. Bergero *L. c. §. 4. n. 7.* allegatum cuius verba habent, *dieweil aber dennoch in gegenwärtigem Fall sich ein dolus specialis äussert/in Erwegung/ daß G. (heres creditoris) dem Anziehen nach R. (Debitoris) Handschrift mit Fleiß zurück gehalten/ und als icktgedachter R. solche von ihm gefordert selbige verläugnet;* Also diffals eine Gefährde begangen/ die Exceptio doli specialis aber an biennium nicht gebunden/ ic.

## §. XXVI.

*Emtio venditio contrahitur, simul atque de pretio conuenerit, quamvis premium nondum numeratum sit, ac nec arrha quidem data fuerit pr. I. de Emt. vendit, nam solo consensu hic contractus perficitur pr. Inst. de Obl. ex consens. Exinde Ulpianus in l. 9. de contr. emt. vend. dicit; In Emitionibus & venditionibus consensum debere intercedere palam est, ceterum siue in ipsa Emitione dissentiat,*

D

siue

*sive in pretio sive in quo alio, Ematio imperfecta est. Si ergo me fundum emere putarem Cornelianum, Tu mibi Te vendere sempronianum putas, quia in corpore dissensimus, ematio nulla est.* Idem dicendum, si quis ita vendiderit, si voluerō vel stipulanti sic spondeat, si voluerō decem dabo, neque enim debet in arbitrium rei conferri, an sit obstritus. *l. 7. pr. ff. de contr. emtio. vendit.* Aliud est, si in rei stipulandi arbitrium collata sit conditio, quod statuit Cuiac. *ad l. 17. ff. de V. O.* Hinc concludo, quod si stipulatus fuero a Titio, ut equum suum mihi vendat, & de pretio quidem tractari coepit, sed nondum plene inter nos conuentum fuerit, interim Francofurtum proficiscens, rogo Titium, ut ne venalem istum equum, me abte alii vendat, quia ego redux contractum emtiois venditionis ad comparandum equum celebrare constitui. Hac voluntate declarata coepit emtio venditio contrahi, sed quia partes de pretio nondum plene consentiunt, neque tamen negotium derelinquent, ista imperfecta remanet eam vim habens, ut partes ad conuentionem perficiendam, aut interesse praestandum sibi inuicem obstringat. Similiter si quis rem sibi cum aliis communem vendiderit, ea lege, ut venditionem a sociis approbari curet, quia socius non potest vendere partem socii inuiti vel ignorantis, *l. 30. ff. famil. ercisc. Christin. V. III. Dec. 83. n. 1.* cogetur conuentioni satisfacere, hoc est: vel curare cum effectu, ut venditio a sociis approbetur, vel e nomine cauere, si non confessim approbare poterit, de praestando, quanti emtoris intererit, si quid aduersus venditionem a coniutoribus factum erit *arg. l. 13. ff. de act. emt. vendit.* vid. Faber in *Cod. Lib. IV. T. XXXIII. Def. V.*

§. XXV.

## §. XXV.

Ulterius, cum per Orationem Imperatoris Seueri,  
 cuius meminit Ulpianus in l. 1. ff. de reb. cor. qui sub tutel.  
 vel. curat. sunt. sine decret. non alienand. l. supponend. interdicatur tutoribus & curatoribus, ne prædia rustica vel  
 suburbana distrahant: nisi, ut id fieret, Parentes testamento  
 vel codicillis cauerint, aut Prætor urbanus aditus fuerit,  
 & pro sua religione aestimauerit, quod alienari obligariue  
 possint: rei immobilis pupillaris venditio non valet sine  
 decreto Ioh. a Sande *de probhibit. rer. alienat.* C. 1. n. 68.  
*seqq.* B. Stryckius *de Cantel. contr. S. 1. C. 3. §. 21.* Saltem,  
 donec tutor hoc ipsum impetrarit, venditio rerum pupillarum  
 imperfecta est: interim decreto non subsecuto te-  
 netur tutor utique ad interesse, sed nec ipsis emtor ab hoc  
 contractu quamdiu spes est, eundem vel autoritate ma-  
 gistratus vel ratihabitione pupilli maiorenxis facti, confir-  
 matum iri. t. t. C. si maior. fact. ratibab. & tit. C. si mai.  
 fact. alien. ratib. recedere poterit; quo de conferratur  
 Faber. l. c. *Def. III.* Ita porro re aliena, quæ alteri obli-  
 gata fuit, sic vendita, & ea lege, ut dominus aut creditor  
 ratam haberet venditionem intra certum tempus, si rati-  
 habito non sequatur, non statim contractus irritus consti-  
 tuendus est, sed condemnandus vendor, ut contractum  
 adimpleat; si non possit, præstet interesse emtori *Id. Def.*  
*XI.* Tandem si inter partes pacientes expresse sit con-  
 ventum ut emtio venditio non valeat, priusquam in scri-  
 pturam redacta, dubium non est quin contractus emtionis  
 venditionis perfectus non sit, antequam instrumentum  
 emtionis omni ex parte confessum, & a contrahentibus  
 subscriptum vel a Notario publico, in forma probante undi

quaque perfectum, partibusque prælectum & ab iis approbatum fuerit. Quamuis autem dum hæc siant ab Emt. V. imperfecta recedere licere, haut negemus, novimus quippe hoc pronunciatum esse a Scabinis Lipsianno 1626. M. Febr. in Caus. Io. Stebin. zu Querfurth. Obwohl euer Nachbar H. W. den Kauff angebothen/ darüber auch ein schriftlicher Contract zu Pappier gebracht worden. Dieweiln aber dennoch nicht zu befinden/ daß solcher schriftlicher Contract von beyden Theilen vollzogen worden/ und gleichwohl beider Contrahenten Meynung gewesen/ einen schriftlichen Contract aufzurichten und also in scriptis zu contrahiren ic. So mag auch berührter Contract vor Vollzogen nicht geachtet werden; Derowegen Verkäuffer nochmahls zu pœnitire wohl befugt ist W. R. W.

Attamen hoc non obstante, si dum alter a contractu recedit, alteri præjudicium creet, quin de eodem pensando teneatur, per rationes in antecedentibus allatas, dubiare non licet.

### §. XXVI.

Addendum hic est, quod, quemadmodum re integrâ mutuo consensu a perfecta Emtione venditione recedere licet, ille vero non censendus tantum est ex pacto expresso, ut tali opus sit, quo recepsum intelligatur, sed sufficit utriusque voluntate constare, seu verbo seu facto, dummodo appareat, neutrā partem contractum velle obseruare & adimplere, Mæv. P. VIII. D. CLXXIV. Multo magis liberum esse partibus, a negotio coepito unanimi placito desistere, quod factum censetur, si neutra pars ne-

go-

gotium urgeat, ita vero quicquid actum fuit nullum est,  
 Mæv. p. IV. Dec. 334. cum præsumtio sit, discessisse a  
 tractatu partes, nec concludere voluisse, ubi, quod tracta-  
 tum est, ad effectum non deducitur Cephal. Cons. 72. n. 16.  
 vol. 2. Potro de imperfectione supplenda non querendum,  
 ubi propter personarum inabilitatem, emtio venditio  
 consistere nequit: sunt autem personæ inhabiles infantes,  
 qui nullum animi iudicium habent, & nulla conventione  
 valide obligari possunt, s. 9. I. de inutil. stipul. idem  
 dicendum de iis qui vitio animi aut corporis laborant,  
 quales sunt furiosi mente capti & dementes, qui non in-  
 telligunt, quod agunt s. 8. d. t. nisi interualla habeant;  
 deinde surdi & muti nec stipulari nec promittere possunt,  
 quia ut plurimum rerum intellectu defituuntur s. 7. I.  
 d. t. quo referri possunt etiam extreme ebrii, qui non tam  
 ex proposito quam impetu agunt. I. n. §. 2. ff. depæn. l. 2.  
 C. de contr. Emt. hinc nec obligatio nec actio adversus  
 eos obtinet cum effectu iuris ad id, ut adimplere & inuiti  
 promissa servare teneantur: veluti hoc responsum confir-  
 mat ab Ampl. Facult. Iurid. Ienens. pronunc. M. Jun. 1614.  
 in caus. H. W. Da ihr nun damahls mit einem Trunk  
 beladen gewesen/ und nicht gewußt/ was ihr gethan;  
 So seyd ihr demselben/was da zur Zeit eurer Mühlen  
 wegen versprochen worden/nachzuleben nicht schul-  
 dig V. R. W. Quid de prodigiis aliquique legibus re-  
 probatis & prohibitis personis obtineat, videatur apud  
 Lauterbach. in Coll. th. pr. tit. de contr. emt. s. VI. & seqq.  
 Similiter quod obiectum E. V. attinet antequam de per-  
 fectione contractus solliciti simus, indigandum: an res  
 de quibus actum, emi vendiue possint. Regulariter equi-  
 dem

dem quævis res sive mobilis sit sive soli, aut immobilis  
*arg. pr. I. de inutil. stipul.* in conuentionem deduci potest.  
 Sunt autem a regula exceptæ quædam, nempe res quæ  
 nec actu nec potentia in rerum natura sunt, nec in com-  
 mercio priuatorum existunt, quales sunt, uniuersitatis, fo-  
 ra, theatra, plateæ, stadia, templæ, statuæ, *βάσιλειον*, Campus  
 Martius, ubi milites se exercent, & quæ sunt aliae publico  
 usui destinatae. *§. 6. I. de R. D. & §. 4. de Legat.* itidem res  
 sacræ, sanctæ ac religiosæ. Quod enim diuini iuris est, id  
 in nullius bonis esse censetur *d. add.* Lauterb. *I. c. §. XV.*  
*seqq.* Huiusmodi res, si in conuentionem deducantur,  
 ipsam omnino nullam reddunt. *Conf. tit. Cod. quares ve-*  
*nire non possunt & qui vendere l. emere vetantur.*

## §. XXVII.

In locatione Conduktione necessum est, ut consen-  
 sus, *l. i. & 14. ff. locat.* de usu rei vel operæ transferendo,  
 mercede statim definita declaretur, *arg. l. 20. l. 46. ff. d. t.*  
 De substantia ergo huius contractus est merces; quæ an  
 in pecunia numerata consistere debeat? quæruntur. Neg.  
 quidem videtur *per l. 21. C. de loc. cond. si olei certa ponde-*  
*ratione fructus anni locasti; de contractu b. f. habito, pro-*  
*ppter hoc solum, quod alter majorem obtulit ponderationem,*  
*recedi non oportet.* Sed notante Mozz. *de contr. p. 398. n.*  
*13.* nonnulli DD. arbitrantur h. l. non de locatione Con-  
 duktione sed contractu innominato, licet loco in congruo,  
 agi. At nobis probatur sententia B. Brunnemannii in com-  
 ment. *ad Cod. b. l.* Verius, inquietis: esse, in locatione  
 pensionem non tantum consistere in pecunia numerata,  
 sed etiam in re fungibili. In primis si taxata ista & aestimata  
 fue-

fuerit, quia tunc potius aestimatio, pretium ac merces, quam ipsa res data censetur. Fleck, *Biblioth. Iur. Lib. III. Tit. 36. n. 18.* add. Petr. Muller. *ad B. Struvii S. I. C. Exercit. XIV. §. V. Lit. B. & seqq.* Illud apud omnes in confessio est, mercedem debere esse certam, ut vel minimum ex quadam relatione de ista constet. *l. 6. ff. de R. C.* quod adeo verum est, ut ante determinationem mercedis ipsa locatio imperfetta habeatur. Sic. in *l. 25. pr. ff. Locat.* responsum: *Si merces promissa sit generaliter alieno arbitrio locatio & conductio contrabini non videtur sin autem quanti Titius esti mauerit, sub hac conditione stare locationem, ut si quidem ipse qui nominatus est, mercedem definierit, omnimodo secundum eius estimationem & mercedem persolui oporteat & conductionem ad effectum peruenire; Si autem ille vel noluerit, vel non potuerit mercedem definire, tunc pro nibilo esse conductionem, quasi nulla mercede statuta.* add. *l. ult. C. de contr. Emt.* ibid. Brunnenm. *Quemadmodum autem hoc iure alias utimur: ut quae sub certa conditione deberent, priusquam conditio existat, exigi nequeant, sed & ipsa obligatio eousque duret, dum certum sit, conditionem nunquam exituram: pariter vi allegati textus antequam certum est, Titium vel nolle vel non posse mercedem definire, neutri parti a conuentione, licet imperfecta, impune resilire, integrum erit.* arg. *l. 11. §. 1. ff. Qui potior in pignor.* secus est, si ab initio statim contractus error interuenerit, hic quippe consentium excludens, totum negotiorum reddit nullum, unde qui rem propriam conduxit, existimans alienam, dominium non transfert, sed inefficacem conductionis contractum facit. *l. 10. C. de loc.* ibid. Brunnenm. *Addes si res locata perierit causa fortuita & praestari*

stari non possit ad nihil teneri locatorem, quia casus qui a sapiente praeuideri non possunt nec praecaueri, hominibus non imputantur.

## §. XXVIII.

Societas est Contractus ex consensu de rebus quæcūs causa communicandis initus, Schulz. *in synops. inst. tit. de societ.* nec aduersatur l. 4. ff. pro socio, ubi Modestinus ait: *societatem coire & re, & verbis & per nuncium posse nos dubium non est.* Nam cum propositum Isto de causa efficiente societatis hic agere, quod etiam adiectione huncii satis indicat, & alioquin ubi res a verbis contradistinguitur, res factum soleat notare, ut in l. 32. §. 1. ff. de L. L. l. 1. §. *Iniuriam ff. de Iniur. l. 37. pr. ff. ad Sct.* Trebell. l. 46. ff. de O & A. Nihil aliud hic indicatur, quam consensum societatis non solum verbis expressis, verum etiam factis ac rebus declarari posse, vid. Io. Nicol. Hert. *Dissert. de societ. facto. contract. Sect. 1.* §. 2. Sed præter consensum pro materia res seu capitale in societate omnino adesse, & interuenire debet, quia in hoc contractu non potest dari consensus, nisi detur subiectum, super quod adaptatur consensus ille & sic etiam de essentia erit ipsa res Mozz. *de Contr. Tr. de societ. tit. de substant. essent. s. format. societ. n. 5.* Igitur quoque incertum fuerit, an res, de qua agitur in communionem deduci queat, imperfecta erit societas. Eiusmodi est casus, quem proponit Ulpian. *in l. 52. ff. pro socio.* Cum duobus vicinis fundus coniunctus venalis esset, alter ex his petit ab altero, ut eum fundum emeret, ita ut capars, quæ suo fundo iuncta esset, sibi cederetur, mox ipse eum fundum, ignorantie vicino emit. Qv. an aliquam actionem cum eo vicinus habeat.

Iu-

*Iulianus scripsit implicitam esse facti questionem. Nam si hoc solum actum est, ut fundum Lucii Titii vicinus emeret et mecum communicaret, aduersus me, qui emi, nullam actionem vicino competere: Si vero id actum est, ut quasi commune negotium gereretur societatis iudicio tenebor, ut tibi deducta a parte quam mandaveram, reliquias partes presterem.* Sane si, postquam partes de fundo pro communi emendo conuenissent, hic tertio concederetur, adeoque delinqueret venalis esse, totum pactum evaderet nullum. Sed ex eo momento, quo socius rem emit & voluntati prius declaratae, res, circa quam versetur, accedit, societas perficitur, validamque actionem producit, eodem, quem superius alii conuentionibus imperfectis tribuimus, effectu. Ast si societatis contrahenda legitimum non adfuerit initium, nullam actionem dari, dicit hic Vlpianus, simulque Dissert. nostræ thesis 6. luculenter sati confirmat. Frustra etiam agitur de in honestorum & turpium rerum societate perficienda, quippe quæ nulla est & foeda communio audit per l.57. ff. pro socio l.35. §.2. ff. de contr. emt. *huc spectat societas monoplii l. unic. C. de Monopol.* de qua Carol. V. in der Reformation guter Polizey zu Augspurg de anno 1548. tit. XVIII. §. 2. ita constituit: Hierauf haben wir zu Förderung gemeinses Nutzens und der Nothdurft nach verordnet und gesetzet/ und thun das hiermit ernstlich und wollen; daß solche schädliche Handthieruug/ Vorkauff/ und der halben gemachte Geding/ Vereinigung und pacta hinführō verbothen und ab seyn/ und sie niemand weder durch sich selbst noch andere treiben/ oder üben sollen. add. Richter. *de Contract. Disp. XI. §. 1. lit. f.*

Mandatum solo consensu de negotio alterius gratis gerendo perfici, *i. 1. ff. de Mand.* statuitur. Nec obstat, quod Callistratus in *l. 59. ff. de A. R. D.* dicit: *res ex mandato meo emta, non prius mea fiet, quam si mibi traditerit, qui emit.* Quantumuis enim ex subtilitate Iuris Romani, rerum Dominia sine traditione non transferantur; at tamen obligatio ex mandato contrahentium solo consensu subsistit, si modo hic utrinque legitimate fuerit declaratus. Ad hoc vero hodie requiritur, siquidem in Iudicio validitatem habere debet mandatum, ut indicetur, quis, quem, in qua causa, contra quem & coram quo Iudicio procurator sit constitutus, sed & subscriptio & sigilli appositi simul ac coniunctim accedere debet. Io. Zanger. *de Except. P. 2. c. 8. n. 26. Ordinat. proc. Saxon. Tit. 7. §. Da auch die Mandata und Vollmachten ic. ubi & illud dispositum, ut si quis scribere nesciat, mandatum per Notarium subscribendum curet, vel iudicialiter per Iudicem & magistratum subscribatur. l. c. §. Und wer nicht ic. add. Berlich. *Defis. LIV.* Sine his quippe Mandatum est imperfectum, neque ordinario effectu gaudet, secundum tradita Carpzovii, *P. 1. C. 1. Def. 27.* neque tamen propterea dixerim, eum, qui amico operam prius suam addixerat, ob istum defectum a promisso liberari, quin potius eundem obstrictum existimem, si nolit conuentioni stare, ut quicquid alter detrimenti exinde sentit, hoc ipsum penset. Secus statuendum erit, ubi mandatum nondum fuit suscepsum. Interim notatu dignum est, quod Bonifacius VIII. in *c. 7. de Procurat. in 6. tradit:* *Licet is, qui Procurator constituitur ab ab-**

*sen-*

sente, dixerit, presentatum sibi suscipere nolle mandatum; hoc tamen nequaquam obstante quamāiu *constituens per-*  
*stiterit in eadem voluntate ipsum acceptare poterit quando-*  
*cunque placebit.* Namque sine repetitione eorum, quæ  
*prius imperfecta erant, si pars, quæ deficiebat, nempe*  
*declaratio accipientis, ignorante licet eo, qui mandauit,*  
*accedat, totum negotium corroborari, secundum ea quæ*  
*initio nostræ dissertationis statuimus, hic confirmatur.*

## §. XXX.

In Mandato perinde ac in fideiūsione societate, lo-  
catione conductione, negotiorum gestione, duplex ut plu-  
ritum vertitur negotium unum inter mandantem, qui  
est Dominis rei sive negotii, & mandatarium sive, qui né-  
gotium suscepit: Alterum inter hos & tertium. vid. Hert. de  
Obl. Mandantis & Mandatarii contemplatione tertii. Si ter-  
tio scilicet aliquod detrimentum exinde metuendum; ut  
puta, si alter litigantium dolose potentiorum patrocinium  
aduocet, quamvis cætera contractus recte sese habeat, at-  
tamen irritatur. Leges quippe Cæsareæ pessimum be-  
neficentia genus esse, malis patrocinari, declarant. Si-  
quidem in eos animaduertendum putant, qui potentio-  
rum patrocinio aduocato, dolos ac technas litibus obti-  
dunt. Inprimis Diocletianus & Maximianus Edictum  
D. Claudi⁹ diuine factum volunt videri, ne scilicet liceret  
viris potentioribus patrocinium præstare litigantibus, ne-  
ue actiones in se transferrent; nisi vellet ipsi litigantes  
multa multari, i. e. pati causæ iacturam. *Diuine admo-*  
*dum, inquiunt, in l. i. C. ne liceat Potent. patroc. Constatuit*  
*D. Claudius Consultissimus Princeps Parens noster, ut ia-*  
*ctu-*

*Etura causa afficerentur, hi, qui sibi Potentiorum patroci-  
nium, aduocassent, ut hoc proposito, metu, Iudicariae lites  
potius suo Marte discurrerent, quam Potentiorum domo-  
rum opibus niterentur.* Idem Decreuere, Arcadius Ho-  
norius & Theodosius *in l. 2. eod.* nec non Theodoricus  
in Edicto, c. 43. 44. & 122. Testante Vincentio Turtu-  
reto *in Paralel. Ethic & Iurid. Dissert. X. p. 99. seqq.* Qui-  
nam vero dicantur Potentiores, nec non quæ ab ista  
lege sint notanda exceptions, de his fusius

vid. B. Brunnenmann. *ad*

*d. d. LL.*

---

**M**Onstrando inualidos contractus, ipse pro-  
basti

*Ingenii validi iudicique decus.*

Ergo Themis meritum Tibi iam decernit hono-  
rem,

*Ominor hunc validum perpetuumque simul.*

---

**P R A E S E S.**

**Errata quæ corrigenda.**

In Dedic. pro Addeptica, leg. Addeptica. p. 12. lin. 25. pro Reueil leg.  
Recueil. p. 19. lin. 5. pro faciendo leg. facienti. lin. 17. pro h. th. pon.  
p. 21. lin. 15. pro flosculum leg. flosculum. p. 22. lin. 3. pro Nutio leg. Nutii.  
lin. 10. deleatur i. & leg. ad SCT. Trebell. p. 23. lin. 8. pro sposonderit  
leg. spoponderit. lin. 16. pro hypocentaurum leg. hypocentaurum.  
lin. 19. pro Instut de Instit. leg. Instit. de Inutil. lin. 20. pro Coedum leg.  
Coelum. lin. 26. pro Non leg. nos. p. 24. lin. 24. pro Ambius leg. ani-  
biguis. p. 26. lin. 13. 14. pro ab te leg. absente. p. 27. lin. 17. pro Con-  
ferratur leg. Conferatur. p. 29. lin. penult. pro Indigandum leg. Indi-  
gandum. p. 31. lin. ult. pro fortuitu leg. fortuito. p. 33. lin. 20. pro Mo-  
nopoli leg. Monopolii. lin. 21. pro Reformation leg. Reformation. p. 34.  
lin. 4. pro traditerit leg. tradiderit. lin. 23. pro promissio leg. promisso.  
p. 35. lin. 7 pro Corrobari leg. Corrobóri. lin. 16. pro litignium. leg. litigantium.  
pag. 36. lin. vers. perpetuumque simul, leg. perpetuumque  
fore.

**ULB Halle**  
005 312 361

3





**Farbkarte #13**



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres



DISPUTATIO IN AVGVRALIS,  
DE  
**CONVENTIONIBUS**  
**IMPERFECTIS,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIÆ, IVLIAE, CLIVLÆ, MONTIVM, ANGARLÆ  
ET GVESTPHALIÆ, &c.

PRÆSIDE

**DN. IO. CHRISTIANO SCHRÖTERO,**

ANTECESSORE IN HAC SALANA, NEC NON FACVLT. IVRID. SCABI-  
NAT. ET CVRIA PROVINCIALIS ASSESSORE GRAVISSIMO, IAM  
TEMPORIS DECANO SPECTATISSIMO,

*PATRONO SVO QVOVIS HONORIS CVLTV  
DEVENERANDO*

PRO IMPETRANDIS SVMMIS IN VTRQVE IVRE  
HONORIBVS & PRIVILEGIIS  
*RECTE SENTIENTIVM IVDICIO & BENIGNÆ ERFDI-  
TORVM CENSVRÆ*

EA QVA CONDECET SVBMISSA RATIONE EXPONIT  
**FRIDERICVS CHRISTOPHORVS LIPPRANDVS,**  
INFERIORI TREBRA THVRINGVS.

*AD DIEM MAII ANNO MDCCXV.  
HORIS CONSVENTIS ANTE ET POMERIDIANIS.*

*I ENÆ,  
TYPIS WERTHERIANIS.*